



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XXXII. De rectitudine divinæ Voluntatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DISPUTATIO XXXII.

## De rectitudine Divina Voluntatis.

### SECTIO PRIMA.

#### Vtrum Deus semper velit, & faciat optimum.

I. Sermo non est de necessitate physica, sed moralis.



UO AD necessitatem physicam nullus est dubitandi locus: fide enim certum est, Deum in operando ad extra, esse physicè liberum, plenèque esse in ipsius potestate nullam omnino creaturam producere: unde non parvam Deo labem aspergeret is, qui illum in operibus ad extra, physicè liberum non esse assereret. Quæstio itaque procedit de necessitate morali, utrum nimirum, licet physicè possit Deus facere contrarium, semper tamen de facto faciat optimum, ita ut moraliter facere nequeat contrarium: sicut homo, etsi physicè possit, moraliter tamen non potest vitare omnia peccata venialia.

II. Notandum primò, Deum melius seu optimum facere, duobus modis posse intelligi, nempe vel cum majore bonitate & sapientiâ, vel ex parte objecti materialis, ita ut per ea quæ producit, magis ostendantur attributa & perfectiones divinæ, & ex majore rerum excellentia Dei virtus clarius eluceat. Primo modo non procedit quæstio; Deus enim, quicquid facit, æquali facit bonitate & sapientiâ, summâ nimirum, quæ vel esse, vel cogitari potest.

III. In quibus rebus invenitur optimum.

Notandum secundò, duplicem esse rerum seriem: in quibusdam enim certo & determinato modo non invenitur optimum, ut in diversis individuis sub eadem specie, vel in diversis speciebus sub eodem genere contingit, in quibus abitur in infinitum, nec ullus potest terminus assignari. Aliæ verò res sunt, in quibus assignari potest optimum, in contradictoriis nimirum, in quibus res est melior suo contradictorio, seu negatione sibi oppositâ: mundus, exempli gratiâ, est melior negatione mundi, Incarnatio negatione Incarnationis, & sic de cæteris.

IV. Prima sententia est, Deum semper facere optimum.

Prima itaque sententia affirmat, quamvis in primâ rerum serie, in quibus nimirum dari nequit optimum, sed quacunque re productâ, perfectior & perfectior produci potest in infinitum; docet, inquam; hæc sententia, quamvis in his Deus non faciat optimum, in aliis tamen rebus in quibus designari potest optimum, semper ab eo optimum fieri, idque morali necessitate, ac tam certò, ut contrarium nunquam contingat. Hanc sententiam docet P. Granado hic, Tom. 2. tract. 2. disp. 3. atque insuper, Deum, si hoc sensu non faceret semper optimum, non fore Deum.

V. Deus nec facit, nec moraliter necessitate tenetur ad faciendum optimum.

Contraria nihilominus sententia omnino mihi videtur amplectenda. Dico itaque cum Suarez 3. part. Tom. 1. disp. 4. sect. 2. fine, & Relezione de libert. Divinâ, Disp. 1. sect. 1. num. 8. Vasquez 1. parte, Disp. 107. & 3. part. Disp. 1. numero 18. Valentia, Tom. 1. disp. 1. quæst. 25. punct. 3. §. 8. se-

quitur quindò. Tannero 3. p. Disp. 1. quæst. 2. n. 45. Lugo de Incarn. Disp. 2. sect. 1. num. 9. Arriaga 1. part. Disp. 27. sect. 2. & aliis: dico, inquam, Deum nec facere semper, nec ullâ etiam morali necessitate teneri ad faciendum optimum, seu illud quod ex parte objecti materialis est melius.

Hæc videtur aperta mens S. Thomæ; quæstione enim 25. a. 6. docet posse Deum, rebus à se factis meliores producere. Et ad primum, cum objectum illic fuisset, Deum posse facere aliquid melius, quàm fecit; in hæc verba respondet: *Si ly melius sit nomen, verum est: qualibet enim re potest facere aliam meliorem. Si verò ly melius sit adverbium, & importet modum ex parte facientis, sic Deus non potest facere melius quàm sicut facit: quia non potest facere ex majore sapientiâ & bonitate.* Ergo juxta mentem Sancti Doctoris, ex parte rerum factarum Deus non semper facit optimum.

Respondet P. Granado, solum velle S. Thomam, potuisse Deum facere meliora accidentaliter, non substantialiter, seu quoddam melioribus ornare potuisset accidentibus. Contrâ primò: ergo juxta S. Thomam, potuisset Deus creasse meliora accidentia: ergo in accidentibus non facit optimum. Contrâ secundò: S. Thomas art. illo sexto citato, corpore, in fine, absolute docet posse Deum res alias creare, iis quas fecit, præstantiores: *simpli- citer, inquit, loquendo, qualibet re à se factâ potest Deus facere aliam meliorem.*

Quando ergo Sanctus Doctor ibidem asserit, non posse Deum facere res meliores substantialiter, non est sensus, non posse eum producere substantias, iis quas producit, perfectiones, sed solum vult (ut se illic explicat) non potuisse Deum hominem substantialiter perfectiorem facere, aliam scilicet ei differentiam substantialem adjiciendo, sic enim non esset homo, sed in aliam substantiam transfret. *Sicut, inquit, non potest facere quaternarium majorem, quia si esset major, jam non esset quaternarius, sed alius numerus.* Species siquidem, juxta Philosophum, sunt sicut numeri. Licet etiam ad tertium asserat Universum, rebus quæ in eo sunt suppositis, non posse esse melius ob summam, quæ inter res omnes invenitur, proportionem & harmoniam, *Potest tamen, inquit, Deus alias res facere, vel alias reddere istis rebus factis: & sic esset illud Universum melius.* Ergo constans est sententia S. Thomæ, Deum non facere optimum.

Clarius hoc idem ostenditur, nempe ex mente S. Thomæ, Deum non semper facere optimum: siquidem S. Doctor 3. p. q. 1. & 3. corp. disertè pronunciat, Incarnationem divini Verbi ita dependentem à lapsu Adami & peccato decretam fuisse, ut nisi homine peccante, facta omnino non fuisset: & ad hoc ipsum citat S. Augustinum, estque communis Patrum sententia, ut, Deo dante, in materiâ de Incarnatione ostendam, ergo juxta S. Thomam, sola excellentia Mysterii, & quoddam Incarnatio sit melior quàm negatio Incarnationis, non necessitat Deum moraliter ad ponendam Incarnationem, cum secundum ipsum, stante totâ excellentiâ & perfe-

VI. Docet S. Thomas Deum non semper facere optimum.

VII. In accidentibus Deus non semper facit optimum.

VIII. Quo sensu dicit S. Thomas, Deum non posse facere res perfectiores substantialiter.

IX. Clarius ostenditur, S. Thomam negare, Deum semper facere optimum.

& perfectione Incarnationis, adhuc si homo non peccasset, non fuisset posita Incarnatio, sed illius negatio: à fortiori ergo falsum est quod ait P. Grano citatus, Deum scilicet, si non poneret Incarnationem, non fore Deum, cum quantumvis non peccasset homo, fuisset Deus, & tamen juxta S. Thomam non fuisset Incarnatio. Confirmatur: S. Thomas libro primo cont. Gen. cap. 80. docet Deum nullâ ratione teneri creaturas ullas eligere, cum ab iis, ne quidem ad melius, pendeat; ergo à fortiori non tenetur ex necessitate morali ad eligendas; semper & producendas creaturas meliores.

*Alius S. Thoma locus ad hoc probandum.*

X. Probatur hæc sententia primò ex Scripturâ: variis quippe locis Incarnationem divini Verbi ait fuisse opus meræ misericordiæ, etiam supposito humani generis lapsu: sic ad Rom. 5. v. 8. *Commendat, inquit Apostolus, charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Item Joannis 3. v. 16. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c.* Deinde ad Ephesios 2. v. 4. *Deus qui dives est in misericordiâ, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo &c.* Ubi, cum opus redemptionis nostræ vocet S. Paulus nimiam charitatem, & ex divitiis infinite misericordiæ Dei ac bonitatis dicat procedere, certè à necessitate, non physica tantum, sed etiam morali, immunem esse ostendit, longèque magis liberum Deo, multòque facilius fuisse, quàm homini cupiam vitare omnia venialia, ergo non eandem necessitatem habet Deus ad ponendam Incarnationem, quam homo habet ad peccandum aliquando venialiter; ergo nullâ morali necessitate tenetur Deus ad Incarnationem, sicque nec ad faciendum optimum.

XI. Secundò hoc idem probatur ex Patribus, qui id sæpius non obscure affirmant. Præ reliquis clarè loquitur S. Augustinus, tum alibi, tum libro 13. de Trin. cap. 10. his verbis: *Parum est, inquit, ut istum modum, quo nos per mediatorem Dei & hominum Christum IESUM Deus liberare dignatur, asseramus bonæ & divinæ congruam dignitati, verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem Deo desuisse, cuius potestati cuncta equaliter subjacent.* At verò si solâ libertate physica, & non morali posset Deus alia media præter Incarnationem adhibere, ita ut si hanc non adhiberet, non esset Deus, potestati ejus cuncta equaliter non subjacerent, ut videtur manifestum. Sicut, exempli gratiâ, quis dicit equaliter esse in potestate hominis alicujus vitare omnia peccata venialia, ac semel visitare infirmum, quamvis ad utrumque habeat potestatem physicam: ergo solus defectus libertatis moralis impedit quo minus omnia sint equaliter in nostrâ potestate: ergo idem præstabit in Deo, & consequenter juxta S. Augustinum moralis hæc necessitas ad faciendum optimum in Deo non reperitur.

*Res hæc declaratur exemplo.*

SECTIO SECUNDA.

*Ratione ostenditur, Deum nullâ morali necessitate teneri ad faciendum optimum.*

I. PROBATUR itaque primò, Deum non semper facere optimum: certum enim est, potuisse

*R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.*

Deum, mundum multò perfectiorem creasse eo, quem de facto creavit, longè scilicet alias & perfectiores rerum species, corpora item simplicia, & id genus alia, homines etiam majore sapientiâ, virtute & sanctitate præditos, &c. qui proinde mundus, non materialiter tantum, sed formaliter fuisset eo, qui nunc est, perfectior, utpote qui attributa & perfectiones Dei, Omnipotentiam, Bonitatem, & Sapientiam perfectius ostendisset.

*Perfectiorem mundum potuisset Deus creare, quàm sit præsens.*

Dices, in his non datur optimum, cum alius semper & alius dari mundus queat perfectior, sicque procedi potest in infinitum. Contra primò: Deus non univit sibi hypostaticè naturam Angelicam, cum tamen in hoc non abeatur in infinitum, meliorque sit illa unio quàm ejus negatio; ergo etiam in iis in quibus non datur processus in infinitum, non facit optimum. Contra secundò: Sicut mundi alii sunt hoc perfectiores, ita & innumeri sunt isto imperfectiores: licet ergo non hunc mundum, tantâ individuorum & specierum varietate distinctum, sed alium longè imperfectiorem, paucis scilicet speciebus & individuis instructum, & exiguo loci spatio circumscriptum, imò unam tantummodo creaturam produxisset Deus, adhuc fecisset optimum, cum eodem modo pro exiguo illo mundo aut creaturâ argui possit, sicut arguunt hi Auctores in præsentia, nempe cum procedi in mundis possit in infinitum, Deum creando hunc, fecisse optimum.

II. *Nil refert in mundis non dari optimum, sed procedi posse in infinitum.*

Ex quo ulterius sequitur, quantumvis paucas creaturas fecisset Deus, adhuc tamen eum facturum fuisse optimum, etiam si nullas ferè ex illis, quæ in hoc mundo de facto continentur, species produxisset. Quòd si quis contendat, has species creari debuisse, quia inde magis elucet Dei potentia, idem dici poterit de infinitis aliis speciebus possibilibus, quæ iis, quas de facto Deus creavit, sunt perfectiores. Imò secundum hunc philosophandi modum, ut Deus censeretur fecisse optimum, debuisset tot mundos diversos creasse, quot nunc creavit diversas species, cum in iis longè magis Dei Sapieniâ & Potentiâ eluceret, magisque in ejus gloriam cederent.

III. *Uterius ostenditur, non ob stare, quòd in mundis non datur optimum.*

Probatur Conclusio secundò: Melius ex parte objecti fuisset, ut omnes salutem consequerentur: licet namque in eo casu non fuisset justitia exercita per pœnam pro peccatis admisis inflictam, melius tamen fuisset compensata per sanctitatem & salutem omnium, præsertim cum jam centesima hominum pars non salvetur, sed in inferno Deum sint blasphematuri, qui alioqui cum æternum laudarent: gloria autem Dei extrinseca est, ut cognoscatur & ametur à creaturâ rationali. Confirmatur primò: Melius sine dubio civitati illi esset aut regioni, in qua nulli forent latrones aut malefici, sed unusquisque leges & statuta Republicæ sanctè servaret, quàm ubi furta, homicidia, adulteria, & alia hujusmodi vitia reperiruntur.

IV. *Melius ex parte objecti fuisset, si omnes fuissent salvati.*

Confirmatur secundò: Quis neget, pulchriorem multò & præstantiorem eam esse domum, ubi omnia aptè concinnata, rectòque ordine sunt disposita, quàm sit illa quæ unam tantum partem rectè habet ordinatam, cætera autem absque ullo ordine jacent; ubi scilicet parietes diruti sunt, portæ ac fenestræ fractæ, &c. Deinde, cum gloria sit clara cum laude notitia, non minorem Deus gloriam extrinsecam fuisset consecutus ex eo quòd per visio-

*Declaratur exemplo à creati desumpto.*

V. *Ostenditur ulterius, melius esse, ut omnes salventur.*

P. n. g. m.

nem beatificam clarè à Beatis omnibus in Deo cognita, & laudata perpetuò fuisset Justitia, & reliqua ejus Attributa. Si quis verò exilimet minùs tunc laudatum iri Justitiam, abundè per eximias illas Misericordiæ laudes compensaretur.

VI. *Dei libertatem minuit sententia asserens eum teneri semper facere optimum.*

Probatur tertio: Sententia asserens Deum moraliter teneri ad faciendum semper optimum, maxime ejus in operando libertatem & indifferentiam imminuit, & sub specioso optimum faciendi prætextu, compedes ei quasdam injicit: dum enim dicunt hi Auctores, Deum moraliter non posse mundum non creare, ponere Incarnationem, &c. necessitatem ei quandam imponunt, hocque licet voce sonet potentiam, re tamen verà est impotentia, sicut est impotentia in homine, quamvis physicè possit, moraliter tamen non posse vitare omnia peccata venialia. Et si dicas, disparitatem esse, quia est imperfectio committere peccatum veniale, facere autem melius, perfectio, & Felix necessitas qua cogit ad melius; idem ergo dic de libertate physicà. Dicitur ergo illud intelligendum est de hominibus, qui, naturà fragiles cum sint, benè cum iis agitur, si ad illa quæ per se recta & honesta sunt, quodammodo compellantur. Tandem in illo axiomate, sermo non est de coactione, & necessitate intrinsecà, sed de extrinsecà, seu quoad leges.

Quo sensu verum sit, Felix necessitas qua cogit ad melius.

VII. *Sequeretur, Deum physicè necessitari ad optimum.*

Quartò probatur: Nam secundum hanc P. Granadi sententiam, sequeretur, Deum etiam physicè necessitari ad optimum: Deus enim, ne quidem physicè facere illud potest, unde oritur contradictio, multò minùs id ex quo sequeretur illum non esse Deum; sed in hac sententia si Deus faceret minus bonum, non esset Deus: ergo non habet potestatem physicam ad faciendum minus bonum, cum non habeat potestatem physicam ut non sit Deus: hac quippe duo, in hac sententià vel idem sunt, vel essentialiter connectuntur.

VIII. *Si homo aliquis vitaret omnia venialia, non sequitur, eum non esse hominem.*

Ad hoc respondet P. Granada sect. 6. num. 32. id non sequi; sicut, inquit, hæc argumentatio non valet, Si homo sine speciali privilegio non peccaret venialiter, non esset homo; sed non habet potestatem physicam ut non sit homo; ergo non habet potestatem physicam ut non peccet venialiter. Sed contrà, quamvis enim nullus sine speciali gratià & privilegio vitet omnia peccata venialia, si tamen quisquam hoc faceret, non sequitur eum non esse hominem, sed id fecisse censetur, quod merè per potestatem physicam potest. Et sanè si sequeretur, eum positò quòd non peccaret venialiter, non fore hominem, mihi certum videtur, non habere illum potestatem physicam ad vitanda omnia venialia, cum non habeat potestatem physicam ut non sit homo: sicque in utroque casu eodem modo tenet consequentia.

IX. *In hac sententia, frustra petentur à Deo multa, quæ ab eo petuntur.*

Probatur quintò: Melius sine dubio erat, fidem Christi in mundo recipi, venire Spiritum Sanctum &c. & tamen hæc petuntur à Deo: sic enim Psal. 2. v. 8. jubetur Christus primum ab æterno suo Patre petere: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam* &c. quod de spiritali Christi regno, fidèque illius in hominum mentibus disseminandà, intelligendum esse omnes affirmant. Secundum etiam Joannis 14. v. 16. promittit discipulis Christus, se à Patre petiturum: *Ego rogabo Patrem, inquit, & alium Paraclitum dabit vobis, &c.* Si tamen Deus ad hæc & his similia præstanda esset moraliter necessitatus, & ad ea à parte rei ponenda, per se, & independentè ab omni petitione determinatus, ita ut ea infallibiliter semper faceret, inutilis sanè esset omnis harum rerum petitio, præsertim Christo, qui in hac sententià novit Patrem antecedenter ad omnem orationem hæc omnia cer-

tissime facturum, imò moraliter facere non posse contrarium.

Confirmatur: Parum certè dignum Deo videtur dicere illum, si peccata non permitteret, non fore Deum. Siquis fusiùs hanc sententiam impugnatam videre cupiat, consulat P. Arriagam, qui acerrimè in eam invehitur, lubricamque appellat, & fidem aliquo modo tangere affirmat.

X. *Indignum Deo videtur dicere illum non fore Deum, si non permitteret peccata.*

SECTIO TERTIA.

Argumenta contententia, Deum semper facere optimum.

OBIECIENS primò cõtrà illud peculiariter quod suprà diximus, melius scilicet esse ut omnes salventur: cum ergo, ut diximus, plurimi imò multò major hominum pars damnetur, Deus non facit optimum: Contrà hoc, inquam, objicitur, si omnes salvarentur, defuturam varietatem illam & pulchritudinem quæ modò in Universo refulcet ex Dei Justitià actu exercitã. Respondetur, ut divina Justitia plenè & perfectè innoscat, nil opus esse ut exerceatur ad extra, sed sufficere quòd à Beatis clarè videatur in Deo existens, sicut plenè innoscent Relationes, & alia quædam Attributa, licet nihil operentur ad extra. Et quamvis in hoc casu non esset exercitium Justitiæ, plenius tamen, ut dixi, & perfectius compensaretur per singularem illam misericordiam, quæ est super omnia opera Dei, eximiamque infinitæ illius bonitatis ac benignitatis in omnes ostensionem: plusque gloriæ extrinsecæ sibi accerferet omnes salvando, quam peccatores puniendo.

I. *Ostenditur, melius esse ut omnes salventur.*

Justitia non exercita, melius est ut omnes salventur.

Obieciens secundò: Quisquis alium maxime & perfectissime amat, eadem operã vult ei optima quæque, & quicquid ad perfectionem ejus & ornatum spectat: cum ergo Dei amor in seipsum summus sit, ex vi illius determinabitur ad optima quæque volendum, suamque per hæc potentiam, gloriam, & magnificentiam manifestandam. Quo enim gradu quis alium amat, eodem etiam vult ei bonum, & pari semper hæc inter se passu procedunt. Sed contrà: hoc enim probaret, Deum ne physicam quidem habere libertatem ad non creandum mundum, non ponendam Incarnationem &c. qui enim perfectè & efficaciter amat finem, non potest non amare & ponere media ad illum finem necessaria: si ergo Deus amet se infinite, & hoc in eo inferat velle majorem suam perfectionem & gloriam extrinsecam, non potest non eam velle, sicque necessariò velle debet creare mundum, ponere Incarnationem &c.

II. *Ex summo Dei in seipsum amor, nõ sequitur, eum semper facere optimum.*

Quo gradu quis amat finem, amat media.

Respondetur itaque, licet Deus necessariò amet seipsum, cum sit bonum usquequaque perfectum, & infinitum, omnique vel minimã labe imperfectionis carens, quæ amorem illius quovis modo impedire posset, aut retardare: hinc tamen non sequitur, cum amare necessariò creaturas, tum quia bonitatem habent limitatam ac finitam, eamque variis imperfectionibus admixtam; quam etiam ob causam Beati, quamvis ad Dei amorem rapiantur necessariò, non tamen propterea, etiam moraliter necessitantur ad volendum Deo objecta omnia secundaria seu creata meliora. Unde integrum est Deo, etiam stante perfectissimo amore sui, non optima tantum ex bonis creatis, sed omnia omnino omittere, nec creaturam ullam producere, plenamque in hoc habet indifferentiam.

III. *Cur Deus necessariò amet, non creaturam.*

Declaratur hæc veritas exemplo Beatorum.

Quòd

IV. Quod verò dicitur, gloriam aliquam extrinsecam Deo ex creaturarum productione accedere, ejusque inde potentiam & sapientiam magis relucere: respondetur abunde Potentiam Dei & Sapientiam per hoc apparere, quòd Deus creaturæ rationali, homini exempli gratiâ, vel Angelo revelet, aut per visionem beatificam clarè ostendat, posse se hujusmodi creaturas producere, quantumvis de facto eas non producat. Et si urgeas, ergo saltem creare teneretur Deus hominem vel Angelum, cui hoc revelet, aut ostendat: negatur tamen consequentia, multum enim Deo de perfectissimo in creaturas dominio decreveret, si vel ad unam creaturam producendam esset moraliter necessitatus: unde ex hoc capite tantum ei perfectionis decederet, quantum accederet ex alio.

V. Objicies tertio: Dum homo quispiam se vel alium ardentem amat, optima quæque & sibi & amico exoptat: ergo idem dicendum est de Deo. Confirmatur: homines lege prudentiæ & rectæ rationis, tenentur facere quod est optimum, alioqui cum imperfectione morali operari conserentur; sed Deus non minus prudentiæ legibus tenetur, quàm homines, ergo. Nec satisficit si quis dicat, ideo creaturæ rationali incumbere ut semper faciat optimum, quia in eo sita est illius perfectio, ut se cum Deo, ultimo sine conjungat, ad quod munus optima quæque maxime conducunt, ac proinde juxta rectæ rationis dictamen ea eligere debet, quæ hujus acquisitioni finis præcipue deserviunt, nec citra violationem legis prudentiæ facere potest contrarium. Deus verò, cum ad amorem & conjunctionem secum, nullâ egeat creaturâ, caret hac obligatione faciendi optimum. Hoc, inquam, non satisficit: etsi enim quis invincibiliter ignoraret Deum, adhuc imprudenter, & cum imperfectione morali operari conserentur, si actu majoris perfectionis omisso, ultra eligeret aliquid imperfectius.

VI. Ad Argumentum itaque simul & Confirmationem respondetur, disparitatem esse, quòd hominibus ex hujusmodi operationibus accrescat aliqua perfectio, non Deo. Quæ etiam est causa, cur non amet necessariò gloriam suam extrinsecam, sed possit illam planè omittere, nullam omnino creaturam producendo, quia scilicet non amaret se perfectius intensivè, sed solum extensivè, ex quo amore nihil Deo accrescit perfectionis: Unde sine ulla imperfectione potest, non tantum non facere quod melius est, sed omnino nihil ad extra producere.

VII. Objicies quartò: Creatura quæ plura & meliora in Dei obsequium facere potest, & nihilominus non faceret, minus Deum amare conserentur: si ergo Deus optima quæque in sui gratiam non præstet, cum possit, minus perfectum respectu sui amorem habere similiter judicabitur. Respondetur negando consequentiam: ratio est, tum quia, ut supra dixi, multum Deo de perfectio illius in creaturas dominio decederet, si vel unam moraliter creare teneretur: tum ob alias rationes numero tertio allatas: tum demique quia, ut tota Sectione secundâ vidimus, Deus de facto non fecit optimum, nihilo tamen fecius negare nemo potest, quin se perfectissime diligat.

VIII. Objicies quintò: Nihil apud Theologos frequentius, quam ut eo ipso quòd aliquid melius sit ac decentius, inferant Deum de facto id fecisse; ergo omnium animis insitum quasi à natura est, Deum semper facere optimum. Respondetur, hoc argumentum à nemine adduci ut evidens, sed tantummodo ut quandam congruentiam, unde nec

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

ab ullo censetur hæc ratio convincere, nihilque Auditoribus familiarius, quàm ut eam negent. Sicut exempli gratiâ, quis Beatissimam Virginem sine originali conceptam esse, ex eo præcisè certò deducat, quòd sit optimum, & gratia primò conceptionis instante melior quàm gratiæ negatio, & peccatum: nullus hoc modo unquam argumentari est ausus, nec nisi auctoritate Ecclesiæ, ac Scripturæ, & aliis rationibus accedentibus id asserere: unde hinc potiùs desumitur argumentum pro contrariâ sententia. Verum est quidem, quando aliquid est connaturaliter debitum, inferre solemus Deum id facturum, ubi non est peculiaris ratio in contrarium: nullus tamen infert ex eo præcisè hoc futurum; quòd sit melius.

IX. Objicies sextò: Si, ut supra diximus, qui intense amat Deum, non teneatur optima quæque illi velle, cur stante illo amore non possit eum graviter offendere. Respondetur, rationem esse, sive enim sit amor intensus, sive remissus, modò sit verus amor Dei, & appetitivus super omnia, perinde excludit omne grave peccatum. Unde difficultas par est utrique sententiæ: nec enim quia amat Deum amore valde intenso, ideo non potest eum offendere, sed præcisè quia illum amat; non tamen propterea, etiam juxta auctores contrariæ sententiæ, qui Deum hoc pacto remissè amat, tenetur optima quæque, & Deo gratissima prestare.

X. Objicies septimò: Amor tendit ad unionem voluntatum; ergo perfectus amor ad perfectam unionem; qui ergo Deum perfectè amat, non potest non se ei perfectè unire & conformare, volendo scilicet quæ ei maxime viderit placere: Cum ergo Dei in se amor infinitis gradibus superet amorem, quem homo ullus de eo habere potest, amare sibi & velle debet optima. Sed contra: hoc enim, ut supra dixi, argueret necessitatem physicam. Respondetur itaque, amorem unire quidem voluntates, ita ut qui alium amat, non possit contrarium velle ei quod à persona amatâ videt diligi; hoc enim dissensionem inter eos pareret, & amorem destrueret: non tamen tenetur velle optima, hoc namque lex amoris non exigit, ut sæpe dictum est. Addo, quamvis hoc in voluntate creatâ haberet locum, non tamen in Deo; multum enim ei de perfectio in res omnes dominio decederet, si moralis necessitate ad hæc vel illa teneretur, & ob alias causas sectione præcedente declaratas.

XI. Objicies octavò: Voluntas divina divino intellectui semper est conformis, sed intellectus divinus dicitur Deum ita se amare debere, nihil ut prætermittat eorum quæ ad majorem ejus gloriam quoquo modo pertinent; ergo divina voluntas eadem similiter vult. Sed contra: hinc enim sequeretur, ne libertatem quidem physicam in Deo reperiri, cum Voluntas divina nec physicè esse queat contraria intellectui, aut non esse rectissima.

XII. Ad argumentum itaque respondetur, non dicitur intellectum divinum, esse simpliciter melius Deo, amare unum objectum creatum potiùs quàm aliud; cum actus ejus omnes, quibus hæc objecta amat, sint æquales; nullâ ergo ratione judicare potest divinus intellectus amorem melioris objecti esse meliorem. Verum est quidem, inter objecta ipsa creata esse inæqualitatem, & intellectum divinum qui singula suis ponderat momentis, judicare unum esse alio præstantius, & ut tale, illud Deo proponit; voluntas nihilominus divina, in quam se cunque partem inflectit, est simpliciter æquè recta, utpote cujus actus omnes semper sunt rectissimi, & infinite honesti ac perfecti.

XIII.  
Non tenetur  
voluntas  
divina ad  
amare, quod  
intellectus  
judicat ma-  
terialiter  
optimum.

Dixi, non judicare divinum intellectum, esse Deo simpliciter melius amare unum objectum creatum, potius quam aliud: secundum quidem enim, & extensivè, ut supra diximus, melior est per se loquendo actus, qui fertur in melius objectum, & pari semper hæc inter se passu procedunt. Hoc tamen sensu non tenetur divina voluntas semper id amplecti, quod intellectus judicat esse materialiter melius, sed potest ab eo discordare; tum quia nullus esset modus volendi objecta perfectiora, cum intellectus melius semper & melius objectum proponat in infinitum; tum quia, ut sæpe dictum est, multum Deo de præstantiâ libertatis decederet, si adhuc vel illa moraliter necessitaretur, sed dignitas ejus & perfectio postulat, ut integrum ei sit, etiam moraliter, quodcumque objectum pro sua voluntate eligere; contrarium siquidem, est libertatem sonet, ro tamen verâ libertatem ejus & indifferentiam immunit, & quasdam ei compedes injicit.

SECTIO QUARTA.

Alia quedam argumenta contententia, Deum semper facere optimum.

I.  
Obi. Etia de-  
ducta ex co-  
ceptu super-  
ni artificis.

OBICIENS non d: Deus, non in actu primo tantum, sed etiam in actu secundo est sapientissimus artifex, ergo optima produxit: antecedens probat P. Granada ex præstantiâ hujus Universi, summâque rerum omnium inter se consensione & harmoniâ, situ denique earum & ordine aptè ad eod dispositarum, ut nihil vel quoad varietatem jucundius, vel quoad splendorem magnificentius, vel quoad ornatum pulchrius cerni possit. Unde, inquit, cum Deus opera singula cõspiciens, dixisset unumquodque esse bonum, Universa tandem intuens, miramque eorum dispositionem, connexionem, & ordinem, ea dixit esse valde bona. *Vidit Deus cuncta que fecerat*, inquit Scriptura Gen. 1. vers. 31. *& erant valde bona*, tantus nimirum ex conjunctione cum aliis de novo singulis accessit splendor. Hoc argumentum, inductione per omnia factâ, fusillimè prosequitur P. Granada citatus Sect. 5. per totam.

II.  
Nunquam  
Deus rem  
tam perfe-  
ctam produ-  
cit, quin  
possit produ-  
cere perfe-  
ctiorem.

Joannes Cardinalis de Lugo Disp. illâ secundâ citatâ, Sect. 2. num. 31. ait Deum non posse esse sapientissimum artificem in actu secundo, cum nunquam rem tam perfectam producat, quin aliam & aliam perfectiorem producere possit in infinitum. Hanc solutionem rejicit P. Arriaga hic, Disp. 27. num. 16. asserens possibilem esse creaturam omnium nobilissimam, ac proinde Deum illam producendo, esse posse sapientissimum & perfectissimum artificem in actu secundo.

III.  
Non est pos-  
sibilis crea-  
tura omnia  
perfectissima

Hoc tamen P. Arriagæ assertum latè impugnavi Disp. 46. Phys. Sect. 7. omnesque ab eo ad creaturam perfectissimâ possibilitatem astruendam, adductas rationes confutavi, probabiliusque esse ostendi implicare creaturam omnium perfectissimam: unde hoc nomine rejici nequit solutio posita, nec Deus ex parte rerum creaturarum, seu materialiter dici sapientissimus artifex, sed ex parte modi tantum, & formaliter; quatenus scilicet quicquid facit, summâ sapientiâ & prudentiâ facit, nec aliter quam perfectissimè hoc sensu operari possit. Adde, supra Sectione secundâ ostensum esse, Deum de facto non fecisse optimum ex parte objecti materialis, sed alios mundos multo hoc perfectiores, & alia creare eum posse, quæ tamen

Quo sensu  
Deus sit in  
actu secundo  
sapientissi-  
mus artifex.

de facto non creavit: per quod satisfit inductioni hic à P. Granada per res omnes factæ.

IV.  
Quod Deus  
voluptatem  
ex creaturâ  
existente ac-  
cipiat, non  
arguit eam  
necessitari  
ad optimum.

Objicies decimò: Deus ex creaturâ existente, majorem vel minorem voluptatem pro majore vel minore creaturæ perfectione accipit: ergo producere meliora debet, alioqui voluptate illâ caret, & esset minus beatus; quod Deo repugnat. Hæc verò difficultas solum urget in sententiâ actum liberum Dei statuente adæquatè intrinsicè; in aliâ enim sententiâ locum non habet, cum in illâ non sit ulla in Deo voluptas libera intrinsicè.

V.  
Deus volu-  
ptate liberâ  
ex creaturâ  
proveniente  
carere possit  
pro libito.

Hoc argumentum, siquid probet, probat Deum, non moraliter tantum, sed etiam physicè necessitari ad Incarnationem, & ad creaturam quamque perfectissimam producendam. Respondetur itaque, licet Deus voluptatem ex Incarnationis, aut alterius rei existentia percipiat, hanc tamen, libera cum sit, posse in Deo non esse, non physicè tantum, sed moraliter, alioqui, ut sæpe diximus, multum Deo de perfectio ejus in res externas dominio, libertatisque perfectione decederet. Quod verò dicitur, Deum non posse esse minus beatum, verum id quidem est, si loquamur de beatitudine essentiali: hæc enim tam necessaria est, quam ipse Deus: si verò fermo sit de beatitudine accidentalî, ipsum nomen *accidentale* indicat posse Deum illâ carere, cum ipso facto quod accidentalî sit, possit adeste vel abesse. Deinde, sicut (ut bene advertit P. Arriaga hic, num. 32.) quando Deus amat se, actus ille habet eminenter omnem honestatem possibilem, qua de causâ amor quem Deus habet de seipso, est æquè perfectus intensivè ac amor Dei de se & de creaturis, unde amor Dei ut extenditur ad creaturas, solum addit perfectionem aliquam extensivam, ita voluptas seu gaudium, Deo ex intuitione sui proveniens, eminenter modòque longè præstantiori continet gaudium omne quod ex creaturarum quarumcumque existentia percipere potest, & hoc extensivè tantum aliquid addit, quo proinde ob libertatem perfectissimam, plenissimumque in res creatas dominium, carere potest.

IV.  
Quod Deus  
voluptatem  
ex creaturâ  
existente ac-  
cipiat, non  
arguit eam  
necessitari  
ad optimum.

V.  
Deus volu-  
ptate liberâ  
ex creaturâ  
proveniente  
carere possit  
pro libito.

Beatitudo  
Dei essentia-  
lis & acci-  
dentalis.

Amor Dei,  
de seipso e-  
que perfe-  
ctus est in-  
tensivè, &  
que amor  
quem de se  
habet &  
creaturâ.

SECTIO QUINTA.

Satisfit auctoritatibus Patrum, dum dicere videntur, Deum semper facere optimum.

ARGUIT undecimò P. Granada ab auctoritate: & primò ex Concilio Francofordiensi, ab Adriano Papa confirmato, in Epistolâ ad Episcopos Hispania, in qua Epistolâ sic habetur: *Credamus Deum omnia velle, que meliora sunt.* Idem docere videtur S. Clemens Alexand. lib. 6. Stromatum: *Cum sit, inquit, bonus Deus, &c. prout capax erat uniuscujusque natura, factum est, & sit unumquodque ad ipsum, quod est melius proficiens.* Tertio, ad hoc probandum assert Granado S. Cyrillum Alexan. qui lib. 2. Thefauri, cap. 1. sic habet: *Quia & omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius.* Hoc ipsum docere videtur S. Basilius Homilia 9. ex variis: *Vnum quidem hoc, inquit, habere in mentibus nostris presumptum oportet, quod nihil eorum que nobis accidant, malum sit, aut tale, ut melius illo aliquid excogitare queamus.* Denique, ut alios omittam, his Patrum dictis consonat S. Damascenus lib. 2. Orthod. fidei, cap. 29. initio: *Omnia,*

I.  
Argumentum  
ductum ab  
auctoritate,  
ad proban-  
dum, Deum  
semper facere  
optimum.

S. Clementi.

S. Cyrillus.

S. Basilius.

**S. Damascenus.** Omnia, inquit, que Dei providentiâ sunt, pulcherrimè ac divinissimè fieri necesse est, atque ita denique, ut meliori modo existere profus nequeant. Idem habet S. Gregor. Nyssenus, & alii. Ex quibus confici putat Granado, unam Patrum omnium vocem esse, Deum semper facere optimum.

**II.** Sed contrâ: hæc enim Patrum testimonia perinde omnibus sunt explicanda: siquid enim probent, probant dixisse eos Deum in iis etiam rebus facere optimum in quibus datur processus in infinitum; Patres enim indiscriminatim loquuntur: quo sensu peculiariter fumendum esse S. Augustinum, mox ostendam. Deinde, non de necessitate tantum morali loqui videntur, sed physicâ, assererèque Deum absolutè teneri ad id, quod optimum est, præstandum, ita ut omnino facere nequeat contrarium, ut ex proximè allatis eorum dictis constat: quod tamen concedere refugit P. Granado: unde non magis nos quam ipsum hæc eorum urget auctoritas.

**III.** Respondetur itaque primò, mentem horum Patrum non esse, Deum semper facere quod rebus creatis secundum se melius & convenientius est, sed rectissimè ipsum, & sine ullâ inordinatione ex parte Sapientiæ & Bonitatis suæ, omnia fecisse, ita ut nihil ipsi in operandi modo desit, quo minùs prudentissimè cuncta ordinet, & in suos quæque fines perfectissimè disponat. Quod inter alios clarè indicare videtur S. Damascenus loco num. 6. citato, dum ait, cuncta quæ Dei providentiâ fiunt, pulcherrimè ac divinissimè fieri. Quare sicut omnia vera, sunt æqualiter

*Deus omnia æquali facit Bonitate & Sapientiâ.*

**IV.** Hinc respondetur secundò, Deum etiam ex parte objecti in aliquo vero sensu secundum dicta Patrum, omnia facere optima: quamvis enim unum objectum sit melius alio, ut Angelus homine, aquila mure vel arenulâ, sicut tamen Deus ex parte Bonitatis ac Sapientiæ suæ omnia æquali perfectione efficit, infinitâ scilicet rectitudine, & omnem à Deo excludente defectum, ita ex parte etiam objectorum à Deo creatorum, omnia sunt optima, & hoc sensu æqualiter perfecta, res quæque scilicet secundum regulas artis & naturæ suæ exigentiam exactè facta, & nullum patiens defectum, nihilque in se inordinati continens aut indecori, juxta illud Genesis 1, sine: *Viditque Deus cuncta que fecerat, & erant valde bona.* Et hoc etiam sensu dicunt Patres, Deum facere optimum, omnia scilicet ordinatè, & ad finem quem sibi in operando præfigit, imprimis appositè.

*Deus res omnes secundum cuiusque exigentiam producit.*

**V.** Id tamen notaverim, licet Deus secundum perfectionem finis quem sibi efficaciter proponit, teneatur non moraliter tantum, sed etiam physicè ad media aliqua, finis illius adæptioni proportionata eligenda, ubi tamen plura & inæqualia sunt media ad finem consequendum idonea, non teneatur Deus, ne quidem moraliter, ad medium optimum eligendum, sed integrum ei est quodcumque velit, assumere: id enim ut supra vidimus, Dei libertas, id plenum in res omnes dominium postulat, nihilque est, quod hanc ei moralem necessitatem imponat.

*R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.*

Quia verò Pater Granado peculiariter urget auctoritatem S. Augustini, illius mens hac in re accuratius est indaganda. Tria autem præcipua assert ejus testimoni: Primum Tom. 1. libro de Quantitate animæ, cap. 33. ubi ait, *Iustitiâ summâ Dei factum esse, ut non modo sint omnia, sed etiam sic sint, ut omnino melius esse non possint.* Secundum defumitur ex libro tertio de Libero arbitrio, c. 5. *Quicquid, inquit, verâ ratione tibi melius occurrit, hoc scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorum.* Tertium habetur Tom. 6. libro primo contra adversarium Legis & Prophet. cap. 14. *Vsq; adeò desipiendum est, inquit, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, & Deum credat facere noluisse.*

**VI.** *Dicitur quoddâ S. Augustini, quibus asserere videtur Deum semper facere optimum.*

Verum, sicut supra de aliis Patribus, ita nunc de S. Augustino assero, si eo sensu loquatur, quo loqui eum volunt adversarii, ejus testimonia ab ipsis etiam explicari debere: sanctus quippe Doctor capite illo quinto, libri 3. de Libero arbitrio, ex eo quòd cælum sit melius & nobilior terrâ, aut creatura rationalis, quæ nunquam peccaverat, aliâ creaturâ quæ in peccatum fuerat collapsa, probat creaturas hæcæ produci debuissè; ac proinde, etiam in iis rebus in quibus datur processus in infinitum, contendit Deum semper producere optimum, quod tamen ipsi negant.

**VII.** *Hæc S. Augustini testimonia ab ipsis adversariis sunt explicanda.*

Primo ergo loco, nempe de quantitate animæ, non omnino loquitur S. Augustinus de præsentî controversiâ, ut legenti patebit, sed solummodo contendit, debere unumquemque mori potius, quam peccatum aliquod committere: quod quamvis difficile videatur, Deus tamen, inquit, media optima ex suâ æqualitate providit, gratiam scilicet & merita Christi, quibus nihil melius, nihil ad hoc efficacius dari potest. Hic ergo solum loquitur S. Doctor secundum subjectam materiam, in serie scilicet gratiæ, quæ optimè est instituta; in eâ quippe est Incarnatio, & merita Christi, & per hæc, media ad vitanda peccata, & bona opera exercenda, uberrimè in nos derivata. Hinc tamen perperam quis intulerit, non potuisse Deum non creare mundum, sed ad hoc morali fuisse necessitate compulsus. Ad tertium verò locum dico, S. Augustinum solum loqui conditionatè, nempe si Deus aliquid facere debuerit, id eum fecisse: hinc tamen non sequitur, illum asserere, Deum quiddam omnino facere debuissè.

**VIII.** *Declaratio primi & tertii testimonii S. Augustini supra allati.*

*Series Legis gratiæ optimè est instituta.*

Ad secundum denique locum ex capite quinto, libri tertii de Libero arbitrio desumptum, dico, mentem S. Augustini tantum esso, Deum convenientissimè, & sine omni malitiâ, defectivè, aut Bonitatis aut Sapientiæ operari. Disputat quippe ibi contra Manichæos, qui Deum calumniabantur, meliusque eum & sapientiùs facturum fuisse asserbant, si creaturas illas non fecisset, quas sciebat aliquando peccaturas: S. Augustinus verò contra eos contendit, Deum hac etiam in parte, optimè & sapientissimè fecisse, & sine omni vel Bonitatis, vel Sapientiæ defectu.

**IX.** *Expenditur testimonium S. Augustini ex lib. 3. c. 5. de Lib. arbit. desumptum.*

Et quamvis, ut supra num. 7. adverti, dicere videatur, ex eo quòd Deus faciat optimum, debere nos credere eum condidisse cælum, & creaturam quæ in nullum unquam peccatum incidisset, loquitur solum conditionatè, id est, si Manichæi ostenderint hoc melius esse, hoc est, magis secundum dictamen prudentiæ, bonitatisque ac sapientiæ regulas, Deum id fecisse, non tamen debuissè facere absolutè, & ratione objecti, alioqui, ut loco citato notavi, Deus teneretur ad optimum in iis etiam rebus, in quibus datur processus in infinitum.

**X.** *Quo sensu dicat S. Augustinus, debuissè Deum creare cælum.*



XI.  
Apponuntur  
quadam cir-  
ca mentem  
S. Thomae.

Totius, non  
singularum  
partium per-  
fectio, pra-  
cipud ab ar-  
tifice spe-  
ctanda.

Tandem objicit S. Thomam variis locis, ad quae tamen supra responsum est, ubi ostendi, S. Thomam non omnino praedictae sententiae favore. Unum tantum explicandum restat sancti Doctoris testimonium, i. part. quaest. 47. art. 2. ad 1. ubi sic habet: *Dicendum, quod optimi agentis est producere totum effectum suum optimum, non tamen quod quamlibet partem totius faciat optimam simpliciter, sed optimam secundum proportionem ad totum.* Sed hic etiam locus non urget; solum enim contendit S. Thomas, optimum artificem, si juxta regulas artis procedere velit, proportionem potius & varietatem partium in ordine ad totum spectare debere, quam partium in se perfectionem. Sic, inquit S. Thomas, *tolleretur bonitas animalis, si quaelibet pars ejus, oculi haberet dignitatem.* Sic etiam non adeo pulchrum & speciosum esset hoc Universum, si animalia omnia in eo contenta, essent aquila,

leones, aut elephanti, nec aliae in eo forent arbores praeter cedros; reliqua siquidem arbores, & animalia multum ad Universi ornatum ac splendorem deserviunt.

Nontamen hic, aut usquam alibi dicit S. Thomas, Deum necessitari moraliter ad regulas optima proportionis in omni officio servandas: quod etiam tota hac Disputatione ostendimus; sed sicut integrum plene ei est, hanc vel illam creaturam producere vel non producere, mundum condere, vel non condere, ita hoc vel illo modo eum condere, & secundum hunc vel illum perfectionis gradum. Nec est quod inquirat quisquam, cur tali, vel tali ratione Universum creet; id enim ut praestare queat, summa ejus dignitas & libertas postulat, id perfectissimum dominium, utpote qui rerum omnium supremus Moderator est & Arbitrator: *Stet pro ratione voluntas.*

XII.  
Nullibi dicit S. Thomas, Deum necessitari moraliter ad faciendum optimum.

## DISPUTATIO XXXIII.

*Quomodo cum voluntate Dei efficaci stet nostra libertas: maximè cum voluntate praesentiva.*

I.  
Libertas nostra non magis à voluntate Divina laeditur, quàm à Scientia.



UPRA, Disputatione vigesima-quarta, Sectione decima, & undecima, ostendi divinam Scientiam nostrae libertati non officere: quantumvis namque actus nostros tempore antecedit, utpote aeterna, eos tamen ratione, aut etiam quodammodo naturam subsequitur, nec ideo sunt futuri quia Deus illos novit esse futuros, sed e contra, ideo Deus futuros esse novit, quia sunt futuri, ut latius ostendi Sectione illa decima, num. quarto, quinto & sexto. Tandem ergo ostendendum de divina Voluntate.

II.  
Potest Deus, voluntatem nostram ad operandum necessitare.

In primis certum est, posse Deum voluntatem creaturae rationalis ad operandum necessitare, ejusque in agendo indifferentiam tollere: etsi enim de facto ita eam regat, suumque ad actus omnes nostros concursum ita attemperet, ut vim nobis non inferat, sed indemnem servet libertatem nostram, resque omnes juxta propriam cujusque naturam administret; si tamen liberet, necessitate voluntatem nostram posset, actus scilicet ejus ita pure antecederet volendo, ut refragari omnino non possimus, sicque indifferentiam nobis in agendo, libertatemque eripere.

III.  
Deus nostram in operando libertatem non infringit.

Hoc, inquam, etiamsi facere possit Deus, utpote supremus rerum omnium Moderator, plenumque in voluntatem nostram obtinens dominium, hac tamen sua potestate non utitur; at naturam liberi cum simus, nostram in agendo indifferentiam non infringit, sed nos nobis relinquit, liberumque operandi modum tuetur ac promovet, & creaturam rationalem rationali via ac more gubernat.

IV.  
Deus concursu generali, hominum libertatem non laedit, sed perficit.

Tres tantum excogitari casus possunt, in quibus non nemini fortassis videatur, Deum necessitatem nobis in agendo imponere: primo in concursu generali, qui aliud nihil est, quam volitio divina, quam nobiscum ad operationes omnes

nostras concurrere statuit, & citraquam, nullum omnino exercere actum valemus. Hac tamen sua voluntate Deus, nullam nobis infert in operando violentiam, nec quidquam de libertate minuit. Ita nimirum dat posse, ut velle nobis relinquat, & stante etiam hac Dei voluntate, integrum cuique est, in quamcumque se velit partem, inflectere, & vel operari, vel operationem omittere. Deus itaque hac voluntate, quam concursum omnibus in actu primo parat, brachium veluti sum omnibus praebet, ut eo quisque pro libitu utatur, ejusque in agendo open & operam acceptet: sine hac verò Dei ope etsi operari nemo possit, ut Disputatione vigesima-octava Physic. ostendi, contra Durandum, & Disputatione vigesima-nonam peculiariter contra Patrem Ludovicum à Dola, qui Durandi sententiam tuetur, nullus tamen per hunc concursum ad agendum compellitur. Quae clarius intelligentur ex Disputatione vigesima-octava Physic. sect. sexta, ubi concursum hunc Dei generalem in actu primo fufius declaravi.

Qualis sit concursus generalis, quo Deus unà cum hominibus concurrat.

Secundò existimare quis posset, cum, ut Disputatione trigesima Physic. ostendi, determinatio ad individuationem refundi necessariò debeat in Causam Primam, seu actum aliquem voluntatis divinae, per quem Deus causas applicat ad agendum: existimare, inquam, quis posset hanc Dei voluntatem ita hominem vel Angelum ad operandum determinare, ut omnem eorum in agendo indeterminationem & indifferentiam tollat: Secus tamen res se habet; Deus namque hac voluntate non absolute vult, ut quis operetur, sed casu quo operetur, ut hunc tantum numero actum eliciat ex innumeris qui hoc instante sunt possibiles.

V.  
Deus determinans ad individuationem, hominum libertatem non laedit.

Deus ergo, quamvis semper voluntati create concursum in actu primo ad amorem & odium, volendum & nolendum aliquod objectum parat, ad unicum

VI.  
Modus quo Deus determinat ad individuationem declaratur.